

datū numerus subtractus relinquet datum numerum. Vt in priorī quæstione, ex 23. & 47. fit numer⁹ 70. Ab hoc ergo subducēda sunt 23. vt 47. relinquantur. In posteriori autē quæstione, ex $\frac{4}{11}$. & $8\frac{2}{3}$. fit numerus $9\frac{1}{3}$. à quo si ducas $\frac{4}{11}$. relinquentur $8\frac{2}{3}$. vt patet, si reducas minutias productas ad integra, & ad minimos terminos. Id quod in sequentibus quæstionibus obseruandum etiam erit hoc est, post absolutam operationem reducendæ erunt minutia productæ ad minimos terminos, vt in hac quæstione factum est.

2. Quis numerus subtractus est, aut subtrahi debet ex 87. vt relinquantur 26? Item qui numerus ablatus est, vel auferri debet ex $1\frac{8}{3}$, vt relinquantur $\frac{2}{7}$? Huius generis quæstiones expediet subtractio. Nam si numerus, qui relinqui debet, subducatur ex numero, à quo fieri debet subtractio, remanebit numerus, qui ex eodem numero deductus relinquet residuum propositum. Vt in priorī quæstione, subtractis 26. ex 87. remanent 61. Si igitur tollantur 61. ex 87. remanebunt 26. In posteriori autem quæstione, si auferantur $\frac{2}{7}$. ex $1\frac{8}{3}$. restabunt $\frac{30}{21}$. quæ si subtrahantur ex $1\frac{8}{3}$ relinquentur $\frac{2}{7}$.

3. Cui numero adijcienda sunt 38, aut quis numerus adijciendus est ad 38. vt numerus cōpositus sit 83? Item cui numero addenda sunt $4\frac{8}{5}$. aut quis numerus adijciendus est ad $4\frac{8}{5}$. vt componatur numerus $20\frac{1}{5}$? Quæstiones eiusmodi per subtractionem etiam soluntur. Nam si ex numero, qui componi debet, demas numerum addendum propositum, re-

Inuentio numeri subtracti, vel subtrahendi ex Proposito numero vt alius datus numerus sit reliquus.

Inuentio numeri. cui datus numerus adijciendus sit, vel qui dato numero sit addendus, vt alius numerus datus fiat.

linque-